



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XCVII. Ioannes LXXI. Arch. XXVI. Elector.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

Pontifici palam refragari non sunt veriti. At discussa tandem hac tempestate univērsæ Ecclesiæ maxima, Jacobus Jubilei ergo Romam profectus, dum rediit, Academiæ Coloniensium more & ritu formandæ animum applicuit. Ubi dein Nicolao V. Pont. & Friderico Imperatore annuentibus, supremam Metensis Ecclesiæ curam, pro levanda suæ diocesis inopia, in se suscepit, morbo correptus, apoplexiæ tandem succubuit an. 1456. Elector Dei Religionisque cultui impensè deditus. Sed. an. 17.

XCVII. IOANNES LXXI. ARCH.
XXVI. ELECTOR.

Joannes Marchio Badensis à dissidentium in electione Canonicorum parte dum postulatur, admittitur ab omnibus. In eodem virtus eximia, & dispensatio Romana ætatis defectum supplevere: Calistus nimirum III. Pallium, Fridericus verò consueta in Imperio Electoribus insignia Joanni concesserunt. Ita confirmatus & exornatus, ut Trevirensē Senatū populūque devotum sibi redderet, consulum legendorum potestatem eidem & ipse non negavit; unde velut in triumpho 2500. equitum Treviros adveniēti sacramentum cives dixerunt, institutis epulis lautissimis, & adornatis ludis equestribus. Academiæ deinde penitus absolvendæ, & Doctoribus instruendæ strenuam navavit operam: anno namque Archiepiscopatus 16. Salutis 1472. Actus, ut vocamus, Universitatis publicus omnium primus est celebratus, quo Archiepiscopus Trevirensis Cancellarius Academiæ perpetuus, Conservatores verò Præpositus ædis summæ, Abbas S. Mathie & Prior Carthusiæ, ac demum Rector Nicolaus Raemdonckius renuntiatus est. Jus protectionis civitati duobus aureorum millibus Joannes Elector transcripsit. Hæc Masenius. An. 1473. Fridericum Imperatorem cum Maximiliano filio, & Carolū Burgundorum Ducem cum plurium Ducum ac Principum numero excepit, ubi actum de conjugio Maximilianum inter & Mariam Caroli Ducis filiam ineundo. Legatus ea in re Gandavum missus, ac inde Treviros reversus, gra-

vi cum Manderscheidis Comitibus urbem bello implicitam ritè composuit. Reparandis etiam ædificiis variis intentus, Ecclesiasticam simul disciplinam erexit. An. 1488. bellum Schöneci Superioris, & Bilsteinianæ ditionis causâ à Palatino & Virneburgiis Comitibus motum, Joannem quoque ad sumenda arma excitavit, intercessione tamen Virorum Principum nova pace compositum. Parùm æquo tamen bello se impeditum fuisse, commentario juris sui edito luculenter docuit. A bellis otium nactus, Sacerdotum quorumvis emendandis moribus operam dedit, Synodo hanc in rem Treviris indicta. Correctionem etiam admittere adacta sunt Monasteria diversa, ut emendationem acciperent. Eadem ætate Boppardia urbs privilegiis ab Archiduce Maximiliano confirmatis freta, & nobilium quorundam instinctu irritata, rebellionem est molita, sed anathematis fulmine percussa haud manus dedit. Quare Archipræsul vicinorum Principum ope nixus, obsidione cinctam civitatem ad obsequium reduxit, Anno 1499. cum in arcem Cochimensem divertisset, conclavi pulvis pyreus de industria subjectus & accensus, unâ cum ædificii parte Electorem in auras evibravit, non absque miraculi existimatione servatum. Annis eo ex tempore duobus duntaxat vixit, mortuus an. 1501. Sed. an. 47.

SECULUM XVI.

XCVIII. IACOBVS II, LXXII. ARCH.

XXVII. ELECTOR.

Jacobus II. stemmate Marchio Badensis, Joannis Electoris nepos, Alexandri VI. Pontificis autoritate invitis Canonicis Archipræsul est missus, & ab iisdem admissus denique, postquam Georgius Rheni Comes Palatinus Jacobo oppositus successit jure. Jacobus igitur iam undique in Solio firmatus, Tre-
virorum